

vel faltem nondum satis deductis & probatis, praecluderetur.

Supereſt, vt paucis adhuc verbis attingam, quibus limitibus officium iudicis contineatur, ſecundum ius a pontificibus romanis praefcriptum. Quanquam enim huic iuri adtribuendum videtur, vt ſolutius hodie iudices in iudiciis agant & procedant, vti quidem apud romanos praetor; attamen re adcuratius perpenſa manifeſte adparebit, nec hoc iure terminos, quos iudex, circa aequam *libelli* & generis *actionis* inſtitutae interpretationem, & diiudicationem, iure romano caefareo ſeruare adſtrictus eſt, mutatos eſſe. Quod enim ALEXANDER III. pontifex iudices a ſe datos adhortatus eſt, vt attentius prouideant, ne ita *ſubtiliter*, ſicut a multis fieri ſolet, cuiusmodi *actio* intentetur, inquirant, ſed *ſimpliciter* & *pure factum ipſum* & *rei veritatem inueſtigare curent*, quam minime ſic accipi debet, ac ſi iudicibus liberioſorem poteſtatem in adiuuando aetore per aequam *libelli* interpretationem, concedere voluerit, quam natura officii iudicis & aequi ratio patitur, cum *ſubtilis* illa inueſtigatio, quae *actio* intenteur, quam pontifex a quibusdam fieri dicit, legiſlationi romano-caefareae, quae ſemper ſimplicitati magis (y), quam nimiae ac *perniciſae* (z) *ſubtilitati* & *ſcrupuloſitati* amica fuit, & ne per eam damno quisquam adficiatur, cauit (a), minime omnium analoga ſit, ſed interpretibus iuris romani debeatur, quorum falſa per-

(x) In Cap. Dilecti filii 6. X. De iudic.

(y) §. 3. Inſt. De legit. agn. ſucceſſ.

(z) L. ult. §. 2. C. De Iure Dot.

(a) L. 3. pr. D. de Separat.

C